



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Oppiani Anazarbei De piscatu libri V

Oppianus <Anazarbensis>

Parisiis, 1555

Vita Oppiani, Lavrentio Lippio Collense Interprete.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12729

VITA OPPIANI, LAURENTIO LIPPIO COLLENSE INTERPRETE.



PPIANVS poëta, patre Agesilao, matre Zenodota natus, genere autē Anazarbo Ciliciæ ciuitate. Cæterum cum pater eius opulentus esset, & in republica inter primates iudicatus, in philosophia plurimum excellebat, & philosophicam vitā ducebat, & in huiusmodi disciplina, & in omnibus liberalibus artibus filium erudiuit, præcipue in musica, geometria, & grammatica. Cum Oppianus triginta annos natus esset, Seuerus Romanorū imperator Anazarbum venit. (oportebat enim omnes reipublicæ optimates obuiam imperatori ire.) cum Agesilaus Oppiani pater hoc paruifaceret, veluti homo qui philosophicam vitam ageret, & inanem gloriā contemptui haberet, Imperator hoc iniquo animo tulit, & illum in Miletum Adriatici maris insulā in exiliū misit: in qua cum Oppianus patri cōgrederetur, scripsit hæc clarissima poemata, & Romam profectus, tempore Antonini Imperatoris filij Seueri (Seuerus enim in fata concefferat) hoc obtulit volumen: & dignus iudicatus est, vt impetraret quicquid animo sederet. ille regressum patris ab exilio petiuit, quod assecutus est, & pro quolibet carmine aureum numisma suscepit, & in patriā cum patre regressus, sæuiente in ciuitate Anazarbi paulo pōst peste obit. Ciues enim eū sepelierunt, & sumptuosam statuā illi erexerunt, & inscripserunt hoc epigramma,

Oppianus vatum decus immortale fuissem,
Inuida ni gelidum rapuisset parca sub orcum
Me iuuenem placidæ clarum splendore camœnæ.
Ni liuor longæ violasset tempora vitæ,
Non mihi laude parem quenquam terra alma tulisset.

Scripsit alia poemata. Vixit annis triginta, habet stylum floridum & planum cum facundia & maturitate, quod difficillimum est, & in sententiis & parabolis præcipue excellit. De quo sic meminit Eusebius in libro de Temporibus, Tempore antonini imperatoris anno eius imperij decimo, ducentesima trigesima septima olympiade, anno mūdi 5370, anno domini centesimo septuagesimo secundo, ab anno Nini regis 2185, Oppianus Cilix poeta cognoscitur, qui Halicutica miro splendore conscribit.

*